



Disputatio juridica inauguralis de in jus vocando

<https://hdl.handle.net/1874/340684>

9

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
IN JUS VOCANDO,

Quam
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inlyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissime

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè, solenniter, ac MORE MAJORUM consequendis.

Publica disquisitioni subjicit

GERARDUS NOBEL, ROTTEROD. BAT.

Ad diem 10. Maii, hora locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM;

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo lcc Lxxxvii.

VIRIS AMPLISSIMIS GRAVISSIMIS.

D. PETRO vander HORST,

J.U.D. Collegii Architalassici ad Mosam, quod Rotterodami est, Advoca-
to Fisci.

D. JOHANNI OUDEROGGE,

eiusdem Collegii tormentis bellicis conficiendis præposito.

COGNATIS PLURIMIS HONORANDIS.

D. GUILIELMO NIEUWPOORT,

apud Roterodamenses Mercatori vigilantissimo.

D. DANIELI à BODEGEM,

Domaniorum Celsissimi Principis Araufianensis in pagis vulgo de
Hooge en Lage Swaluwe / Quæstori fidelissimo.

D. CORNELIO vanden BERGH,

J.U.D. Civitatis Roterodamensis Scabino dignissimo.

D. JOHANNI SLECHT,

Mercatori apud Roterodamenses solertissimo.

COGNATIS ATQUE TUTORIBUS FIDELISSIMIS.

UT ETIAM

VIRO CLARISSIMO ET PERQUAM ERUDITO

D. JOHANNI van MUYDEN, JC^{to}.

atque in hac Academia, quæ est Trajeti ad Rhenum Juris Professori
Ordinario, Legum Civilium Explanatori facillimo, præsenti tempore
Rectori Magnifico, Promotori venerando hospiti suavissimo, de
me studiisque meis, quam maxime merito.

*Hacce studii Juridici
primitus*

Sacras facit

GER. NOBEL, A. & R.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

IN JUS VOCANDO.

THEISIS I.



Gressurus materiam de *in Jus vocando* præambuli loco aliquid præmittemus de *Ordine processus Judiciarii*. Ut valide & cum effectu *Jurisdictio* exerceri possit, principem locum obtinet *in Jus vocatio*, post eam *Litiscontestatio*, *Causa cognitio* & *Sententiae pronunciatio*, quamdemum sequitur *executio arg. l. i. C. de exec. Rei Jud.* Ante omnia agitur de *in Jus vocatione* quia hæc omnium actionum instituendarum, atque adeo judicii principium & caput est. *§. ult. f. de pen. rem. litig.*

I I.

Occurrit hic nobis vocabulum *Juris*, quam significationem in hac materia sibi vindicet, videamus: accipitur variis modis; & 1. quidem sumitur pro *objecto justitiae* seu *ipsa aequalitate l. II.* pr. ff. de *just.* & *Jure.* 2. Pro eo quod *Legibus Civilibus* cau-

A 2

tum

4 DISPUTATIO JURIDICA

tum est *iit. ff. & C.* de *jur. fact. ignor.* 3. Pro *sententia*, licet *Prætor* iniquam dixerit *d. l. 11. ff. de Jus. & Jure* 4. Pro *necessitudine*, sic dicitur *Jus cognationis l. 12. ff. de J. & J.* 5. Pro *titulo seu causa acquirendi Dominii l. 10. ff. si serv. vind. l. ult. ff. aq. & aq. pl. arc.* 6. Pro *facultate legitima §. 2. J. de Reb. corpor. & incorp. l. 1. ff. de servit.* 7. Pro *potestate patria sive herili. tit. I. & ff. de his q. sunt sui vel al. Iur.* 8. Pro *jussione sive sanctio- ne* sic dicitur *Jus Naturale & Gentium & Civile* ut patet ex *tit. I. de I. N. G. & C. l. ff. de I. & I.* 9. Pro *ipsa arte equi & boni l. 1 ff. eod.* 10. Pro *loco in quo Jus redditur l. 1. ff. de interr. in Jure fac. & ubi Prætor cognoscit sive tribunal. l. pen. ff. de I. & I.* quam significationem nos amplectimur: ac in præsenti ex- planabimus, quæ fuerit *antiqua in Jus vocatio* & quæ *nova* atque ita hic sufficiat de varietate vocis *Juris* dixisse.

I I I.

Sed videamus, antequam ulterius divagemur, quæ fuerit diffe- rentia olim *in Jure* inter & *in Judicio* agere: siebant autem quædam *in Jure* coram *prætore* scilicet, quæ ipsi *judicio* constituendo specimen futuræ Litis exhibebant ut *V. G. in jus vocatio, Cautio, Postulatio, summaria actionis editio, datio formula, citatio &c.* quædam vero *in Judicio* peragebantur coram *Judice* pe- daneo quemadmodum *notio seu cognitio facti, probatio, disceptatio, conclusio & sententia &c.* In *Jus vocare* est *Juris* experiundi *causa* *vocare* *adversarium apud eum qui Jurisdictioni preeft.* l. 1. ff. de *in Jus voc.* l. 2. ff. si quis in *Jus voc.* non ierit, §. ult. I. de *pæn. tem. litig.* Oritur *Jus* in *Jus vocandi* ex ipsa naturali *equitate*: videtur enim *inhumanum aliquem inaudita causa* *condemnari*; audiri vero non potest nisi quis in *Jus vocatus* ad *disceptionem* fuerit: atque ita definitione elucidata de *antiqua* in *Jus vocatione* primo venit considerandum, quod sit *privata*, & aliquando *violentia*: quod cuivis actori licuit reum propria auctoritate convenire atque admonere ut se sequeretur *in Jus*, si Reus aut recusabat venire aut *vadimonium* *promittere h. e.* satisdare *judicio* sisti, invitus & obtorto collo *in Jus* sive ad *tribunal* tra-
hi

I N A U G U R A L I S. §

hi *Pretoris* poterat & attestationis medio duci secundum *legem*
 XII. *tabularum* quam hoc loco adjicere non abs re visum.

I V.

Hæc sunt verba legis. *Si in Jus vocatus non it, antestato* (id est, actor testes advocato super eo quod agitur) *igitur im capitulo* (id est deinde eum arripito: *In veteres dicebant pro Eum uti testatur Festus*) *si calvitur* (si moratur vocatus sic exponit *Gajus* in l. 223. ff. de *V.S.*) *Pedem ve struit* (fugam molitur vel ut alii, si vix pedem pedi præferat) *manum endo jacito* (b.e. manum in eum injicito) *obtorio Collo in Jus rapito, trahito*: qui rapendi mos a *Gracis* dicitur profectus: si quis olim adversarium traxisset in *Jus* præsente aliquo teste faciebat, & talis testis *antestatus* dicebatur: & ejus aurem in *jus* vocans, ut sibi liceret tangere rogabat, si quod respondisset, *licet*, eo tempore testis porrigebat aurem roganti, quo facto impune adversarium *in judicium* trahebat: aurem veteres tangebant ea de causa, quia putabant ibi *memoriam* residere, quod probat illa Phrasis apud *Plinius* l. 11. C. 45. *Est in aure ima memoria locus quem tangentes attestamur rectius legitur attestamur*: hinc vellere aurem dicimus admonere sic *Virgilinus*

Miki Cynthius aurem

Vellit & admonuit

Ejus quoque tamen partis contrectatione, benevolentiae parentum captandæ causa, usos fuisse veteres exponit *Clem. Alexandr.* 5°. *strom.* quamobrem olim mos fuit, ut pueri patres oscularentur arreptis utrimque auribus quod *osculi* genus *Pollux* lib. 10. 26. *tear.* sic quoque *Poëta*.

Et fœnus maronna dabit, natusque parenii

Oscula compressis auribus eripier:

& *Plautus* inquit in *Afinar.* prehende auriculis, compara labella cum labellis: Paulatim tamen prævalente pudore & reverentia, violenta deduictio exolevit, quod minime humanum foret, & absque turbis vix contingenter cujus turbæ meminit *Horat.*

6 · DISPUTATIO JURIDICA

— — — — — *Casū venit obvius illi*
Adversarius : & quo tu turpissime? magna
Exclamat voce, & licet antefarsi, ego vero
Oppono auriculam : Rapit in jus, clamor uirimque,
Undique concursus.

V.

Quamvis autem antiqua in *Jus vocatio* esset privata: tamen in *jus* vocanti hęc erant observanda 1°. *Rationem loci habere* debebat nemo enim ex domo sua vocari potest, quia *domus cuique tuissimum refugium est & receptaculum l. 18. ff. de in Jus voc.* si quis enim in *jus* vocatum vi domo extraxerit injuriarum tenetur *l. 23. ff. de in Jus voc.* putarunt enim legislatores *satis pœna eum subire qui latitando non defenditur : l. 19. ff. d. t.* sed hęc regula duas patitur exceptions 1°. est in *causis criminalibus* ut patet ex *Nov. 17. C. 7.* 2°. obtinet in *debitis fiscalibus l. 2. C. de exact. tribut.* quamvis autem invitus ex domo in *jus rapi* non possit, ab adversario tamen *vocari* sine violentia potest, si aditum ad se praebeat, vel à quolibet conspicatur *l. 19. ff. b. t.* 2°. ab *Asylis* aliquis in *Jus* *vocari* nequit, quia *ad ea perfugientes sive Liberi sive servi ab omni pœna tuti erant*, ideoque licet fas esset, inde tamen extrahi nefas erat; atque illa *Asyliorum sanctitas* etiam constat ex facto *Romuli* qui ut urbem jam conditam quam occissime repleret civibus sacrum quendam locum aperuit, ad quem quisquis licet scelestus confugiens non tantum pœnæ esset immunis, verum etiam civitate donaretur: uti testantur *Livius lib. 1.* & alii plures *Auct.* hujus loci meminit etiam *Virgil. l. 8. Aeneid.* inquiens

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum

Retulit, & gelida monstrat sub Rupe Iupercal.

sic etiam posteaquam e vivis migrasset *Hercules* nepotes ejus infidias eorum, quibus avus grave damnum dedisset timentes *Athenis* asylum collocarunt unde quis abduci non poterat. Plura huic rei possent inservire, verum illa magis *historiam* quam *Jus* spectant.

V I.

V I.

20. Temporis opportunitas observari debet non licet enim vocare illum qui ducit uxorem vel eam quæ nubit neque eum qui funas prosequitur nec Pontificem dum sacra peragit, nec eos qui propter loci Religionem sese inde mouere nequeunt l. 2. in med. ff. b. t. quod multi intelligunt de Monachis & Eremitis, alii de illis qui ad asyla confugerunt, alii de Æditnis, seu templorum custodibus, alii de omnibus iis qui sacris intersunt ita ut nihil certi statui possit; præterea nec eum vocare licet qui equo publico causa publica transvehitur d. l. 2. ff. b. t. quod verosimiliter intelligendum est non de solenni tantum transvectione Equitum Romanorum sed de omnibus qui ad publica negotia peragenda transvehuntur, quia eos nullis aliis negotiis occupari convenit l. 8. §. ult. l. 12. 15. ff. de legat. 3º. Ratio personarum est habenda ne scilicet vocentur illi qui in jus vocari nequeunt.

V I I.

Cum tres hujus Edicti partes sint jam de prima agemus, qua Prætor quasdam personas omnino in jus vocari prohibet. Et 1º. occurrit servus quem vocari non posse manifestum est, quia personam standi in judicio non habet l. 3. in princ. ff. ne qu. cum q. in jus voc. 2º. Impubes & furiosus. 3º. Magistratus majores quamdiu sunt cum imperio & aliquem coercere possunt, qui omnes enumerantur in l. 2. 3. 4. ff. de in Jus voc. Secunda parte edicti qua certa tantum conditione, prævia scil. venia Prætoris vocari poterant, Tertia erat qua poenale judicium in secus facientes pollicetur; sed videamus hic de Secunda; Illos inter referuntur 1. Parentes & Patroni l. 4. §. 1. ff. b. t. l. 2. C. eod. Parenis hic intelligitur utriusque sexus, nec tantum primi gradus sed ulteriores ascendentes. l. 4. §. 2. ff. b. t. Etiam parentes adoptivi quamdiu durat adoptio l. 10. §. 7. ff. b. t. & naturales l. 4. §. fin. l. 6. 7. 8. ff. b. t. Patroni appellatione continentur Uxor, Liberi, & omnes patroni heredes; l. 2. C. b. t. etiam extranei heredes. l. 1. & 2. C. d. tit.

Hoc

8 DISPUTATIO JURIDICA

Hoc *edictum* multi extendi volunt ad *Socerum & Socrum Vi-tricum & Novercam, Maritum, Dominum Feudi, Praeceptores, Sacerdotem Parochialem &c.* sed haeret hic aqua: quia *Jus erubescit sine lege loqui.* Et mens legislatoris non fuisse videtur haec eo producere quia *Jus speciale atque judicia pœnalia extendi non possunt sed potius restringuntur:* si quis itaque injussu *Prætoris tales, quales memoravimus, vocarit, ille tenetur ex tercia parte Edicti quæ refertur in l. pen. ff. b. t.* (qui enim simplicitur prohibentur vocari, *Jure Civili satis tuti videntur.*) & habet alter *condictionem pœnalem adversus illegitime vocantem ad 50. aureos l. 12. l. pen. ff. b. t. sibi applicandos:* quod si reus non habeat in ære luat in pelle *l. ult. ff. d. t. Liberii* idcirco etiam a *Præfecto Urbi extra ordinem castigari possunt l. 25. ff. b. t.*

VIII.

Describitur haec *actio in factum ex Edicto de in Jus vocando* quod sit *actio Personalis, Præatoria, annalis quæ datur Parenti, Patrono aliisve qui eorum loco sunt contra Edictum sine venia in jus vocatis, adversus eum qui vocavit, in pœnam 50 annorum, actori applicandam l. 12. l. 24. & 25. ff. b. t.* haec *actio non datur haeredi nec in haeredem. d. l. 24. ff. b. t.* quamvis alioquin pœnales actiones haeredibus non denegentur, cuius forte ratio est *quod hac actio intendat vindictam privatam, & per sequatur illatam injuriam,* & ita instar actionis injuriarum haec haeredi quoque non competit §. 1. *J. de Perp. & tempor. act.* Ab hac pœna non excusat *Imperitia aut rusticitas, neque enim Rusticitas unquam excusat in iis quæ ex Ratione naturali prodeunt qualis est reverentia l. 2. C. b. t.* Non intelligenda hic est *qualibet & Communis reverentia* quæ & senibus præstatur *l. 5. pr. ff. de J. ius unit.* sed talis quæ ex cœla *conjunctionis, vel necessitudinis aut beneficii accepti inter vocantem & vocatum intercedit d. l. 2. C. b. tit.* alia hoc pertinencia brevitatis causa mittimus, atque ita haec de veteri in *jus vocacione* dixisse sufficiat multum autem ab ea differt *hodierna citatio* quæ *publica autoritate magistratus fit per apparidores.* ut patet *ex auth. off. C. de Litis contest. l. 9. C. de bon. auctor. jud. poss. l. ult. C. de*

C. de in jus voc. & quamvis in jus *vocatio* & *Citatio* sæpius confundantur: tamen differentiæ quædam interveniunt, quas notare breviter propositi nostri nunc est: *Illa* fiebat *privata auctoritate*; *hec* vero *jussu Pratoris per praconem*, *illa* in *Jus*, *hec* in *judicium*, *illa* ante, *hec* post *litiscontestationem*, *illa* *actionis impestranda*, *hec facti* *examinandi causa* fiebat.

I X.

In jus vocatio hodie recte dicitur *Citatio*, quæ commode ita definitur. *Citatio* est legitima Rei ad judicem ipsius jussu atque auctoritate facta *vocatio juris experiundi causa*. Dividitur *Ratione formæ* 1.^o. in *Realem* & *Verbalem*: *Realis* est *qua sit per manus injectionem & personæ apprehensionem*, ob delictum vel as alienum aut aliam justam causam. *Hæc vulgo vocatur Arrestatio Improprie* autem dicitur *Citatio* & habet locum in *gravioribus delictis*: *imo & in causis civilibus necessitate urgente*, ut si reus comparere recusat. *I. 6. C. quom. & qu. jud.* item *si suspectus sit de fuga* ut ostendit. *I. 10. §. 16. ff. q. in fr. cred.* ubi cum id liceat ex *causa debiti civilis*, multo magis licere debeat *ex criminе*; ne illud maneat impunitum; atque ideo etiam consuetudo generalis arrestationem permisit forensem, quod consistat in sumptibus, qui fieri possent ad persequendum debitorem alibi commorantem, evitandis: *Hæc Citatio* requirit mandatum judicis prævium. *I. 3. C. de exhib. reis.* ratio est *nequis inique ladatur*. exerce tamen *inventum in flagranti crimine*, quod latiorem indaginem necesse non habet, quem tum temporis officialis recte apprehendit sine ullo mandato.

X.

Verbalis citatio fit, vel quando *viva voce*, vel *insinuazione decreti judicialis* denunciatio fit: atque *hec* quidem subdividitur in *Ordinariam*, quæ etiam *privata* dicitur: & est *illa* quæ *fit per apparitorum ipsi Reo*, vel *ad ejus domum* aut *per litteras*: Et *extraordinariam* quæ etiam *publica* dicitur & *fit per edictum publicum*,

B

cum

10 DISPUTATIO JURIDICA

cum valvis templi, aut Curie aut portis affigitur, vel ex publico loco per vocem Praconis, aut pulsus campanę denuntiatur. Hęc autem regulariter locum non habet: sed tunc temporis cum Ordinaria commode fieri nequit, ut si debitor sit vagabundus, etiam cum locus in quo quis citari debet non est tutus: item in concursu plurium creditorum &c. Gail l. 1. obser. 57. 20. Ratione effectus dividitur in simplicem, quæ & dilatoria dicitur, ad quam si reus non compareat non tamen sit contumax: nisi tertia fuerit vice iterata. habent autem singulę citationes simplices terminum 10 dierum l. 68. & 69. ff. de judic. l. 8. & 9. C. quom. & qu. jud. & peremptoriam quę ulteriore dilationem non concedit: sed si reus non compareat, adversus ipsum ut contumacem proceditur; in ea vel additur hęc vox peremptorie: vel talis clausula si citatus non compareat Judicem tamen cognitum & pronuntiatum prout aequum & justum videbitur, l. 71. ff. de judic. Hęc citatio J. Civ. regulariter sit post tertiam dilationem l. 68. & seqq. ff. de Jud. interdum post unam & alteram interdum ab initio, modo tum in se non habeat pauciores dies, quam tres dilatorię habent l. 30 l. 72. d. tit.

X I.

Causa Efficiens Citationis est *Jussus judicis competentis seu commissio, quę facienda est nuntio seu apparitori ad hoc ut Citacionem exequatur, ac deinceps relationem faciat arg.* l. 29. §. ult. in verbis a Preside. ff. de minor. l. fin. ff. de Jurisd. qui Judex intelligitur Ordinarius: de delegatis dubium est; & verus est delegatos citare posse, cum absque Citatione Jurisdictionem expedire non possunt l. 2. ff. de Jurisd. *Causa impulsiva Citationis* est instantia & petitio partis, parte enim non petente judex proprio motu neminem citat l. 4 §. 8. ff. de Damno inf. l. ult. C. de bon. aut. jud. possid. nisi in causa publica citatio fiat l. 1. pr. C. de Cust. Recor. Citationem autem petere possunt omnes, quicunque aliquem convenire possunt & legitimam personam standi in judicio habent l. 1. & 2. C. q. leg. Pers. st. *Causa instrumentalis* est executio apparitoris sive ministri publici, cui afferenti se Citare jussu Judicis anfi des

des haberi debeat citato, controvertitur? Quod Jure inspecto non videtur cum ista, assertio contineat factum alienum & solennitas commissionis sit intrinseca, quæ non præsumitur, nisi probetur; consuetudine tamen multis in locis receptum ut fides habeatur nuntio afferenti se ex mandato citare; atque etiam hoc certum est, relationi apparitoris de legitime facta citatione stari, quia *in hoc versatur illius officium in quo electa persone industria, ut pro eo semper sit præsumptio & ei fides habeatur.* Quod affirmit *Gail. I. 1.C. 54. V. 4.* nisi contrarium probetur, ut etiam *Menoch. de arb. Jud. quæst. Casu. 112.*

X I I.

Citari possunt omnes, quorum principaliter interest, quorumque causa agitur & illorum heredes *I. 47. ff. de R. Jud. I. 39. ff. de adopt.* quod si reus citatus non sit sententia eo inscio lata, nulla est. *I. 47. ff. de R. Jud. Treutl. I. 1. disp. 4. th. 6. Litt. A.* Illud quæritur an *is etiam Citari debeat qui præsens est in Judicio?* affirm. *Wesemb.* atque ita in praxi servari testatur, nec sine ratione cum citatio fit etiam ut instructus citatus adsit. Citari non debent 1. illi qui præsentes actum impedire nequeunt, & quibus invitatis judicium peragi potest. *I. 4. §. 3. ff. de fideic. libert. I. 26. ff. de R. J.* 2. Impuberis & furiosi. 3. Magistratus major penes quem est imperium & majestas, quem pro tempore Prætor in jus vocari noluit propter ejus dignitatem *I. 1. ff. b.t.* annus enim cum esset magistratus apud *Romanos* parum interessat auctoris differri negotium in tempus, donec is quocum agendum, magistratu abiisset: adeo ut ne quidem agi posset de delicto in ipso magistratu commisso, sed ita in *majori magistratu* aliud observabatur *in minori I. 32. ff. de injur.* excepto tamen *crimine repetundarum.* Quid si cum pupillis causa sit agenda citandi sunt illorum tutores *I. 1. §. ff. admin. & per tutor.* si vero tutores non habeant, citari possunt consanguinei ut pupillo constituant Curatorem ad item, qui & ab ipso judice constitui potest *I. 1. 2. §. 3. ff. q. pet. tut.* Puberes quoque citari possunt aut Curatores eorum, puberes quidem judicium

12 DISPUTATIO JURIDICA

non peragunt sed *Curatorem ad litem* etiam inviti accipere tenentur §. 2. *J. de Curat.*

X I I.

Partes *Citationis* consistunt tum in *Conceptione* tum in *expeditione* concepte ; In *Conceptione* requiritur 1. *Nomen & Cognomen judicis citantis* l. 30. ff. de *Jud.* ut *Citatus* sciat citantem esse judicem competentem vel non *Gail. l. 1. observ. 48.* In *Ordinario* tamen judice sufficit si *dignitatis & officii nomen* exprimatur *Bachov. ad Trenil. vol. 1. D. 4. §. 3. L. 8. A.* 2. *Nomen & cognomen Citati* ut is cognoscatur an *citatio ipsum* concernat , ut *fraudibus obvietur*, ne actor variare possit. *C. cum multis §. fin. & Cap. Pastor. de rescript. in 6^e.* Sub generali ergo nomine, veluti *Consortii*, *citatus* comparere non tenetur : quia *singuli suis nominibus propriis sunt citandi* *Gail. l. 1. observ. 48.* recte tamen *Universitas* vel *Collegium generali nomine* citatur *DD. communiter.* 3. *Nomen & Cognomen illius qui citationem impetravit*, ut exinde qui *Citatur* certius deliberare possit num contendere, num cedere velit , tum ut *Citatus* videat judicem imploratum officium suum impertiisse *l. 68. ff. de judicis.* 4. In *Citatione* requiritur ejus *Causa* : ut *citatus* instructus adesse possit. *Gail. l. 1. observ. 51.* an vero *Citatus ad Certam causam cogi possit*, ut ad aliam quam *Citatus*, respondeat *Q^{r.}*, & manifeste probatur negativa sententia ex *l. 2. §. 3. ff. de jud.* dissentit vero *Gail. d. l. 1. obs. 51.*

X I I I.

Ratione *Expeditionis* requiritur 1. ut *Citatio fiat per apparitorem* sive ministrum publicum jussu judicis : 2. ut *fiat debito modo* nempe ipsi citato si domi sit , aut alioquin ex domesticis cuidam, ut *Uxori, Liberis, Famulis*, etiam potest fieri vicinis. 3. *Ut fiat debito tempore & non die feriato.* 4. Requiritur *relatio apparitoris*, qua nimirum nuncius omnia cum

I N A U G U R A L I S. 13

cum suis circumstantiis judicii refert, Ut relationi plena fides adhibetur in illis quæ Citationem spectant: sin vero hæc requisita fuerint omissa citatio nullius erit efficaciam, quæ tamen convalescit, si Citatus nihilominus compareat. vid. Gail. dd. ll.

X I V.

Properemus ad Causas in quibus citatio facienda, & quidem in omnibus illis in quibus cognitio etiam levissima est necessaria, quia principium & fundamentum est omnis Judicij. *S. ult. I. de pæn. tœm. litig.* tum quia Citatio est species defensionis, quæ cum sit Juris Naturalis l. 3. ff. de I. & I. nunquam denegari potest.

X V.

Coronidis loco transimus ad effectus qui præcipue in eo consistunt 1. Quod operetur præventionem Jurisdictionis concurrentis l. 19. ff. de Jurisd. l. 4. C. de in Jus voc. 2. Inducit litispendentiam, qua durante nihil est innovandum ut patet tot. tit. C. de litiscontest. 3. Interrumpit prescriptionem l. 2. C. de ann. Except. l. 7. & ult. C. de prescript. 30. vel 40. ann. 4. Si Citatus non compareat proceditur contra eum tanquam contumacem l. 73. §. 3. ff. de Jud. nisi justa causa doceatur absentia d. l. 73. §. 3. 5. Si ipse actor non compareat absolvitur reus ab instantia judicij: nec ante auditur actor quam si omnes sumptus eo nomine solverit. Atque hæc pro nostro quidem instituto sufficient, si quæ non satis limata lectori occurrant æqui bonique consulat, alias enim pro nobis militat illa JCTorum regula. *Neminem ultra posse obligari.*

F I N I S.

B. 35

A. N.

A N N E X A.

I.

Mandator vulneris tenetur de Cade subsecuta.

II.

Si quis viciatam duxerit pro virgine, nuptia consistunt.

III.

In mutuo fit alienatio.

IV.

*Nuptia sine consensu parentum contracte non subsistunt, et si sit
subsecuta copula.*

V.

In Emphyteusi non desideratur necessario scriptura.

VI.

Pœna Capitalis obrinet in violatoribus murorum in municipiis.

VII.

Fera capta in fundo alieno fit capientis.

VIII.

Major 17. annis potest esse procurator ad lites.

IX.

*Fidejussor in majorem summam acceptus quam debitor principa-
lis nullo modo tenetur.*

X.

Princeps nemini sine justa causa potest jus auferre.

AD

A D
ERUDITISSIMUM JUVENEM
GERARDUM NOBEL,
Cum in Utroque Jure
MORE MAJORUM
Doctor renunciaretur.

NOBE LI, patriis ingens virtutibus, olim
Rotta quibus fasces tuto permisit habendos;
Cum vaga discordi laceraret flamma tumultu
Et vitâ, & Proavum quæsitam sanguine pa-
cem:

Dum tibi laurigerum splendet caput omne coronâ,
Affuetas tenui rapiunt majora Camænas
Gaudia, & excelfo faciunt resonare canore.

Dudum diva Themis segetes qua Rhenus amœnas
Alluit, & latos surgunt arbusta per agros
Et Zephyro, & volucrum dulci resonantia cantu
Trajectum circa, cœlo delapsa sereno
Creditur, ut festam celebraret numine lucem:
Ignotumque diu, tantos cui portet honores,
Et non exiguae transmittat nomina famæ.
Sed tamen, ut vestræ sentire recondita mentis
Musa mea, & laudes potuit spectare futuras
Omnes gratanti cecinerunt omnia plausu.
Postquam sic audita loqui Themis ipsa, Tibique
Non vulgare dedit signum Dea justa favoris.

En

En ego, quæ vigili tueor moderamine Jura,
Fasque fidemque fero, sanctæ tutela quietis,
Offero, quæ nunquam fessi meruere labores
Serta comas cinctura tuas, Insigne decorum,
Quod rapidis allata vehit tibi gloria pennis.
Hic virtutis honos, merces præclara laborum
Deside quam vitæ depresso nemo reportat.
I neque magnorum sic degener ipse Parentum,
Insignes animo forti molire triumphos;
Nam te fata manent non infelicia vitæ;
Forsitan & memores Priscorum gloria cives
Excitat, ut simili prognatum laude coronent.
Hæc Dea, venturi quondam non inscia yates.

Interea nitidi lapsi per nubila cygni
Aërias multo perfundunt lumine nubes,
Quas Paphiâ huc advecta Venus tellure serenat:
Et mea Trajecti quoque mollia numina adorant,
Et mea, quæ deceant, sunt jura potentia dixit.
Sit ratum quodcumque Themis tibi præcinit omen;
Sed castris concede meis, & dulcia porro
Disce pati, juventis, castæ præcepta puellæ:
Illæ deliciæ, sincerior illa voluptas
Spes generis stirpisque tuæ, quæ floreat usque.
Jamque ego, jam video tenues adolescere Myrtos,
Virgineaque Tibi nocti de fronde corollas.
Non ita serpenti vitis complectitur ulmum
Tramite, quam brachiis Dominæ cingeris amatæ.
O tibi læta dies, avibus ventura secundis,
Qua beat optatos felix Hymenæus amores.

Sic Citherea. Viam, quæ dicit splendida Cypron
Ingreditur, Charites, & Cætera, dulcis Amorum
Turba rosas spargunt; quibus omnis odorem
Æther, & insolitus diffundit in arva calorem.

Interea

Interea socios ad tempora lœta vocatos
Aut epulæ, aut salibus conspersus sermo jocosis
Detinet, aut alia fallunt dulcedine tempus.
Pars ter fausta canit, choreas agit altera festas:
Cætera spumoso carchesia plena Lyæo
Ponit, & antiquos meminit calefacta sodales:
Et modo transactæ recolit pia gaudia vitæ
Et modo fumiferas tumidè consurgit in ausus.
Hos Patriæ benè cura subit, sanctusque verendæ
Libertatis amor; blandum bibit alter amorem,
Sublimique suam veneratur Phyllida voto.
Omnes lœtisono componunt murmure lucem.

J. T A R G I E R.

M. D.



C

A D

A D

Inserit logos de leuibus et sociis
Generosum Nobilissimumque

VIRUM JUVENE M

D. GERARDUM NOBEL,

Cum post doctam de in jus vocando disputationem in Alma
Academia Ultrajectina

M O R E M A J O R U M

J. V. Doctor pronuntiaretur.



Visque ades? mirare viram documenta loquentem,
In quem profudit cumulo sat divite diva
Quicquid haber gremio dulci ingeniosa Minerva;
Cui Musa Phœbusque potens non vana dedere
Omnia, quem placidis cinxit Themis aqua laceris:
Cernite Castalio potantem fonte, cornusca
Qui petit Aonidum stridentia limina jure:
Cernite quem Veneres dulces, quem splendida mater
Et quem Syrenes faciles comitantur ubique:
Qui miranda refert generoso parta labore
Sedulus en Iuris, cernit penetralia cuncta
Palladis, hic summa sapiens scandit Themidosque
Culmina, dum remaneat justo sic victor uroque:
Pluraque Promittit gravidae mentis generosa
Commoda spes, vultuque modestus vaticinatur
Omnia late nobis: sic leges nocte dieque
Evoluisse juvar, fausto sic Numine; pergas
Quo mentis pulchra te animosus clamuat ardor
Et tua sorte beent Divi bene cepta benigna.

Hoc nesciuimus & exile monumentum
sacrum fecit amicitiae nobilissimi
Candidati.

A. V. E D E N B U R C H

Delph. Batav. J. U. ST.

G E L U C K - W E N S C H

Gedaen aan den

H E E R G E R A R D N O B E L ,

Wanneer by met groote Lof sijne Redencaveling van voor 't
REGT ROEPEN hadde staende gehouden, en met
aller toejuichinge der BEYDEN REGTEN
Doctor wiert verklaert.



Aer dat meer overvloet van wijsheeten van jaren
U 't Lage School ontrock, en s' Meesters
straffe hant,
Liet g'al die Slaverny en Kinder-lessen varen,
Uw' geest kreeg grooter lust, gy socht naer
hoger trant
Van g'leertheit, dies dees *Stadt*, wiens overoude muren
Den stillen *Rhijn* bespoelt, en welkers Roem en Eer
Al overlang een Tal van Eeuwen ging verduren,
Van U verkosen wierd, gy floegt u hier ter neer;
Daer vondt g'uw' volle Rust, en keur van Wetenschappen
En Mannen wel doorkneet, en g'heel gespitst van brein,
Die u den rechten weg, maer stijl, doch vast van trappen
Dan baenden tot het *Recht* des wijt vermaerd' *Romein*:
Hier was dan stof genoeg, hier waren vaste banden
Van *Recht* en *Bilikkheit*, met Re'en aan een gevoegt,
Dit hielp u Leergier' Geest gestadig meer aan 't branden,
Hier was u vol vermaek, hier was al u genoegt,
Hier queet g'u dapper in by dagen en by nachten,
Dit was alleen uw' wensch, uw' yver, en uw' lusts,
Gy gingt' dees gulden Schat met hert en ziel betrachten,
(En brand' in *Rechten* vlam die niet en dient geblust:
Gy liet uw' noyt de moet oft' herte dan ontsincken,
Al vondt gy hier of daer wat moeyt' of swarigheit
Maar liet soo veel te meer uw' Dapperheit daer blincken
En toond' uw' onvermoeyt in all' uw' arrebeyt.

Men

Men trachte dan met recht dees tijdt u breyn te cieren,
(Gy streeft met billikheit ook naer der Eeren-kroon)
Doch *Themis* vlecht al *Myrth* en *Pallas* al *Laurieren*
Ter giersel van uw' hooft, tot u verdienden loon:
Sy wachten met verlang' u voor al aen den Drempel
Van 't Godgewijde Choor, ja al haer hof en stoet
Staet tot u vreucht bereydt in 't midden van den Tempel
En yder vol begeert dat hy sijn lusten boet
Om *Themis* voersterling, met Eer bela'en t'aenschouwen
Die daer het *Heylig Recht*, gelijk een dapper Helt
Met vollen moet beweerd', en aerdig ging ontvouwen,
Soo! dat de bitse tong daer selfs van stont verstelt;
Men ga dan nu te recht met vreugde langs de trappen
Van 't heylig Capitool, ter uwer komst bereydt
Daer gy met Zegenprael dan henen komt te stappen
Door d'Hooge School haar stoet met blijdschap begeleydt.

Symbolum. *Nihil est ab omni parte*
beatum.

Hæc paucula, Pyladeæ amicitiæ testi-
monium, Musis invitæ, Candidato
deproperavit amicus.

